

55 his ducibus caeco ducuntur in aequore classes
 et coit ipsa sibi tellus totusque per usus
 diversos rerum ventis arcessitur orbis.

60 Sed decima lateris surgens de parte sinistri
 maximus Orion magnumque amplexus Olympum,
 quo fulgente super terras caelumque trahente
 ementita diem nigras nox contrahit alas,
 sollertis animos, velocia corpora finget
 atque agilem officio mentem curasque per omnis
 indelassato properantia corda vigore.

65 instar erit populi totaque habitabit in urbe
 limina pervolitans unumque per omnia verbum
 mane salutandi portans communis amicus.

70 Sed, cum se terris Aries ter quinque peractis
 partibus extollit, primum iuga tollit ab undis
 Heniochus clivoque rotas convellit ab imo,
 qua gelidus Boreas aquilonibus instat acutis.
 ille dabit proprium studium caeloque retentas
 quas prius in terris agitator amaverat artes:
 stare levi curru moderantem quattuor ora
 spumigeris frenata lupis et flectere equorum
 75 praevalidas vires ac torto stringere gyro;
 at, cum laxato fugerunt cardine claustra,
 exagitare feros pronumque antire volantis
 vixque rotis levibus summum contingere campum
 vincentem pedibus ventos, vel prima tenentem